



## Præfatio.

Uod si quis univer-  
sam Anatomicæ scientiæ  
faciem paulo accuratius in-  
tuetur, & qualem illa apud  
Venerandam Antiquitatem  
præ se tulerit, quali etiam nostro hoc ævo  
se conspiendam præbeat, perpendit, ille  
eandem totam ferè quantam mutatam es-  
se facile deprehendet, adeò ut, si illis tem-  
poribus dexter hic Medicinæ oculus in  
multis coecutivit, nostris hisce plus quam  
lynceus dici mereatur, & nos nonnisi um-  
bram (absit dicto invidia) ex antiquis ser-  
vasse videamur. Nam

*Multa dies, variusq; labor mutabilis aevi  
Retulit in melius.*

Id quod *J. H. Pauli Anat. Bils.* An. c. s.  
etiam agnoscens: *Nostris*, inquit, *temporibus usq[ue]* adeò excrevit *Curiosorum* in  
*mandis Cadaveribus* solertia, ut neq[ue] anto  
hac dissecandi ars tantopere exculta, neq[ue]  
majori unquam in pretio fuerit. Hinc  
etiam factum est, ut superiori seculo à to  
perspicacissimis Naturæ Scrutatoribus  
quotidie nova in lucem protraherentur.  
*Quorum omnium præclara & nomina &*  
*nova circa res Anatomicas Inventa recen*  
*sere longum nimis foret.* Ut ex innume  
ris pauca quædam allegemus; omnes Ana  
tomicorum libri satis superque loquuntur  
quid Th. Willis & Raym. Vieussens in per  
scrutanda cerebri & nervorum, Rich. Lo  
vver in inquirenda cordis, Nic. Steno in in  
daganda muscularum, & qui primo loco  
nominandus erat, Marc. Malpighius in ex  
ploranda viscerum structura præstiterint.  
*Quod etiam Th. Bartholinus & Ol. Rude*  
beck vasa lymphatica, Ant. Nuck ductus  
oculorum aquosos, J. Georg. Wirsungus ri  
vulum pancreaticum, Th. Warthonus ver  
& Casp.

& Casp. Bartholinus fontes salivales nobis  
aperuerint. Ut taceam Gail. Harvæum,  
Regis Angliæ Archiatrum, qui ob demon-  
stratam sanguinis circulationem perpe-  
tuos in Medicina triumphos aget. Inpri-  
mis verò in detegenda via Microcosmī la-  
ctea non pauci multum desudarunt, nec  
infelici cum successu, uti ex sequentibus  
patebit. Quæ omnia Joh. Munnicks Praef.  
*Libri, quem de re Anatomica scripsit, solli-*  
cità concessit. Tantum autem abest, ut  
hi Naturæ Mystæ posteris novi aliquid in-  
veniendi gloriam hoc ipso ademerint, quin  
potius viam straverint ad plura alia investi-  
ganda. Nam, ut cum Seneca loquar, mul-  
tum adhuc operis restat, multumq; restabit,  
nec ulli nato post mille secula præcludetur oc-  
casio aliquid adhuc adjiciendi. Cum ita-  
que Naturæ thesauri exhausti nequeant,  
omni utique laude digni sunt illi, qui Re-  
centiorum vestigia prementes plus ultra  
Progredi student, & pigri ingenii esse au-  
tumant, contentum esse his, quæ ab aliis  
inventa sunt, cuius nos ne minimum qui-

dem vanâ gloriâ ducti nobis arrogare volumus aut possumus. Sed, quia provida Illustrium Universitatis Procerum cura Theatrum nostrum Anatomicum non demonstrandis modò Recentiorum Inventis sed & iis magis magisque excolendis & perficiendis quam aptissimum est, id unicè agimus, ut qualemque ejus rei specimen præsenti dissertatione exhibeamus. Cui occasionem dedit Nobilissimus & Pereximius D.N. JEREMIAS ADAMUS LEITERSPERGER, qui experimentis hanc in rem factis sedulus spectator interfuit, probe cognoscens, Autopsiam utramque in Anatomia paginam absolvere, sine quâ ratio, veluti navis sine rectore, fluctuat. Quem cum non modo Gentis suæ splendor, sed & egregiæ animi dotes nobilitent, facile auguror, Eundem, qualia plus una jam vice documenta dedit, ita nunc quoque luculentissimum eximiorum profectuum specimen editurum esse. Faxit Deus, ut Tu, Nobilissime Dn. Respondens, Majorum, quorum non paucos Apollineâ arte

arte clarissimos numeras, vestigiis insitens,  
ad tantum scientiæ Medicæ fastigium eni-  
taris, quo illam, quam Respublica, præser-  
tim Medica Istorum morte fecit, jactu-  
ram ex voto resarcias. Præprimis verò  
**MAGNIFICO DOMINO PARENTI,**  
Patrono nostro Magno, de egregio Filio-  
rum pari, qui certamini Academico certa-  
tim sese accingunt, animitus gratulamur.

## CAPUT I.

### *De Vasis Lacteis in genere*



### *Ductu Thoracico in Animalibus Brutis.*

#### §. I.

**A**ntequam ad accuratiorem en-  
cheiriseos nostræ deductionem descen-  
damus, nonnulla de Vasis Lacteis in ge-  
nere prælibabimus. Et quod ad illa me-  
senterii attinet, Erasistratum jam olim  
in hœdis nuper lactentibus eadem vidisse quidem, sed  
non agnovisse, nonnulla, obscura licet, *apud Galenum*  
vestigia deprehendimus, quippe qui *l. 7. Admin. Anat.*  
*6, ult.*